

Tertio, ad commendandam nobis humilitatem, ut ne desideremus praedicari bona nostra in hac vita, sed differri potius optemus usque ad diem illum, qui omnia revelabit: *Et tunc erit tibi gloria, cum dicetur tibi: Amice, ascende superius.*

IX. Quomodo Deus in Christo sibi complacet? Respondet pater Cornelius a Lapide, in c. I. epist. II. S. Petri: «Primo, quia eum Verbo hypostaticae unitum, ut Filium suum infinito amore diligit, in eoque Iesu complacendo conquiescit.»

Secundo, quia per eum solum placuit illi homines redimere, novamque legem et Ecclesiam instituere.

Tertio, quia in summa ejus obedientia, humilitate, sanctitate mire sibi complacuit, per eum placatus fuit toti humano generi, ac cum eo in gratiam redit, et innumera scelera ei condonavit: nam ut ait Christus Joannis VIII. Quae placentia sunt ei, facio semper: ita S. Bernar. serm. I. de epiphan.

Quarto, quia per eum omnes in eum credentes diligunt, sanctificant, filios et haeredes suos destinat. Nemo enim placet Deo Patri nisi per Christum, et omnes qui Christo placent, et ipsi. Denique, omnis virtus placet, sapientia, sanctitas,

adeoque quidam Deo placet, per Christum placet.»

X. Quis ordo hujus transfigurationis? Respondebat ibid. Corn.

« Primo, Christus oravit, interim discipulis ex labore consensi montis, et ex prolixitate orationis Christi somno gravatis ac dormientibus, transfiguratus est Christus. Secundo, accesserunt Moyses et Elias loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completerus erat in Jerusalem. Tertio, apostoli e somno hoc fulgere et colloquio excitati viderunt gloriam Christi, cum eoque colloquentes Moysen et Eliam. Quarto, finito hoc colloquio cum signum darent abitus, S. Petrus haec voluptate quasi ebrios volunt eos parare abitum, petiit fieri tria tabernacula, unum Christo, secundum Moysi, tertium Eliam. Quinto, supervenit nubessubducens Moysen et Eliam, cum voce ad Christum: Hic est Filius meus dilectus, etc. quibus territi S. Petrus, Jacobus et Joannes ceciderunt in terram, sed mox a Christo confortati et erecti, levantes oculos suos solum viderunt Jesum. Interim Moyses ad Iacobum, Elias ad suum locum per angelum uti adductus, ita et reductus est. »

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MEDIA AD TRANSFORMANDUM INDURATUM PECCATOREM
IN VIRUM ALTERUM, ET COR EMOLLIENDUM.

I. Verbi Dei frequens auditio. — II. Assidua oratio. — III. Conatus serius. — IV. Assuefactio ad oppositum.

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Conduximus ante octiduum quod velimus per hos dies ad exemplum Christi versari cum bestiis. Piscem ex natalibus jam vidimus, nunc agemus cum reptilibus. Puto enim et ista adrepssisse ad pedes Christi degentis in deserto. Horum princeps est serpens: qui etsi veneno plenus, praeclarum tamen nobis tradit documentum. Nam ut scribit S. Hieron. in ep. ad Praesidium, cum pre senio caligare incipit, tum veterem exuit pellem; sed quadraginta diebus prius jejunat, et tum angustum foramen inquirit, per quod eluctando laxatam jejunio exuit cutem una-

que senectam. Nihil aequa necessarium peccatoribus, quam ut hoc praesertim tempore, vetustam peccatorum pellem et inolta vita exuant: uti avaritiam, gulam, superbiam, luxuriam, iracundiam et hujusmodi. Horruit quidem Moyses et fugit, quando abjiciens virgam, vidit eam conversam in serpentem, Exod. IV. sed ubi Dei jussu illam apprehendit, vidit serpentem illum iterum conversum esse in virgam, qua deinceps mira plurima patravit. Pari modo horrebunt, opinor, peccatores, praesertim inveterati, serpentem illum, qui veterem exuat hominem et amplectatur novum. Verum non est quod abhorreant; virga erit non serpens. Atque hoc etiam est, quod docemur in hodierno evangelio, scilicet una cum Christo transfigurari in alium hominem. Media suppetit Christus in hac ipsa sua mira metamorphosi, que nunc expendimus.

I. Christus accepit secum tres discipulos Petrum, Jacobum et Joannem. Postiores duos Boanerges, id est, filios tonitru appellarat, quod essent eximi et ferventes concionatores futuri:

quibus bene jungitur Petrus, et ipse summus verbi Dei praeco, ipse quoque tonans contra Iudeos, verbis illis: *Quem vos crucifixistis, auctorem vitæ interfecistis, quem vos interemistis, etc.* Act. c. II, III, IV. et V. Igitur qui transfigurari, et in alterum virum e perverso mutari vult, verbi Dei praecones frequenter et libenter audiat: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus; et quasi malleus conterens petram?* Jer. XXIII. Mirum quid de Germanico viro claris. C. Caligulae imp. patre scribit Plin. I. XI. c. XXXVII. Suetonius in Calig. c. I. et IX. ejus defuncti corpus ergo quidem absumptum fuisse, cor autem solum ab igne comburi non potuisse, ob venenum a Tiberio ei propinatum. Verum ubi id de consilio medicorum theriaca probatissima perfusum fuit, mox combustum est. Theriaca fit a carnibus viperarum, juncitis aliis simplicibus: et concio verbi Dei fere fit e peccatis hominum, quae committunt, ut ea perstricta corrigan. Ergo si cuius cor veneno vitiorum ita obfirmatum est, ut igni Spiritus sancti resistat, profundatur cerebra verbi Dei auditione, et tandem superabitur ac cedet imperanti Deo. Ita enim dicitur Sap. XVI. *Sermo Dei sanare omnia.* Exemplum habemus apud Rufinum, l. III. n. CVII. Rosweid. l. VII. de vitis pp. de Paulo simplicie discipulo S. Antonii, qui ingrediens in templum, spectans videt plerosque hilari vultu et animo ingredi eum angelis custibus, similiter laetantibus. Unum tantum inter eos vidit nigrum et nebulosum corpus habentem, et dæmones hinc inde trahentes eum, misso in naribus fræno, angelumque ejus a longe sequentem tristi vultu. Eumdem porro egredientem vidit clara facie et candido corpore, angelum ejus mire exultantem, dæmones a longe sequentes. Itaque Paulus templum ingressus in altiore locum ascendens turbæ explicit convocatae, quod vidit, petens ab illo, quem vidit, ut se manifestaret, causamque sue mutationis exponebat, mox ille coram omnibus aperuit, quomodo multo tempore fornicationi fuisse deditus, ingressus vero templum audisset praedicari id Isa. I. *Mundi estote et tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum, etc.* eoque auditio compunctis promiserit Deo emendationem, renuntians prioribus vitiis, sieque eo proposito firmatus exierit e templo. Quo auditio omnes Deum laudarunt, atque intellexerunt verbo Dei hominem istum sic fuisse immutatum. In vita Sancti Phillipi Nerii scribit Ant. Gallonius juvenem quemdam saeculo et laetitati deditum, saepe ejus conciones frequentare quidem, sed tantum deridere solitum: unde aliqui ejiciendum putabant: sed sanctus eum tolerandum dicebat,

I.

fore ut suo tempore caperetur Dei verbo. Idque tandem factum est insperato, ita ut mundo valericens ordinem S. Benedicti ingressus sit. Abbas Pastor hac ratione demonstrabat duritiam frangi Dei verbo: « Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est: et si vas aqua plenum pendeat supra lapidem, ex quo assidue stillans guita cadat in lapidem, tandem perforat eum: ita et sermo divinus lenis, cor autem nostrum durum est: audiens ergo homo frequenter sermonem divinum, aperitur cor ejus ad timendum Deum. » Ita vita pp. lib. VI. libello XVIII. n. XVI. Ratio est, quia in concione non solum ostenditur tibi deformitas tua, ut te ipsum agnoscas et horreas; sed moveatur etiam cor, ut te emendas.

II. Christus oravit, et dum oraret, facta est species vultus ejus altera, ait S. Lucas. Idem faciat qui duro est corde, instet orationibus, et sic, ut sperandum, dum orando perseverat, mutabitur in virum alterum. Ratio est, quia homo facile induit mores eorum, quibuscumque crebro converatur et loquitur, velut qui cum unguentario diu moratur, aut cum homine aulico, cuius vestes suavi odore redolent, eodem odore imbutus discedit; qui cum Cæsare frequenter et familiariter agit, sensim graves induit mores, magnarumque rerum scientiam sibi comparat, gratiamque imperatoris: *Ita ex consortio sermonis Domini.* Moyses postquam quadraginta diebus cum Deo in monte Sinai commoratus fuit, splendorem in vultu contraxit adest radiantem, ut Hebrei non possent eum intendere, nisi vultum velaret, Ex. XXXIV. Unde S. Chr. I. de orando Deum, ait: « Sic ut fieri nequit, ut qui solis radiis fruitur, non effugiat tenebras: ita fieri nequit, quin ille, qui cum Deo consuetudinem agit, desinat esse mortaliter. Et qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, ut qui Deum deprecantur, familiariter cum eo colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas ac vita pugnans cum lege divina.

¶ Certe Augustinus ante conversionem suam, cum putaret sibi impossibile esse a consueto illegitimo thoro sese continere, ad orationem versus ferventer et frequenter orabat: *Domine da quod jubes, et jube quod vis.* Tandem exauditus et voce sensibili jussus legere Scripturæ sacrae codicem, legit et abrupte vincula omnia, atque tunc: *Quam suave mihi subito factum est,* inquit lib. IX. confess. c. I. carere vanitatibus nugarum, quas emittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.

Ad hæc oratio tam potens est, ut omnia impetrare possit, si assidua sit et constans. Ita enim

51

S. Jacobus, c. I. ait : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Hinc S. August. in ser. XXII. ad fratr. in eremo : « O quam grandis est ipsius orationis causa ? Oratione Saulus efficitur Paulus et doctor gentium : Jeremias confortatur in carcere : Daniel inter leones exultat : Job in sterquilino nudus triumphat : Susanna inter senes defenditur : paradisum de cruce latro invenit : Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur. » Quo ultimo exemplo habemus induratos emolliri etiam posse precibus alienis, uti Saulum oratione Stephani. Si ergo alterius oratio impetrare potest inveterato peccatori emendationem, quanto magis propria; et si propria nil impetrat, adhibetur et aliena. Sane quod protomartyr Stephanus obtinuit Saulo, sectæ sue pertinaci defensori, hoc etiam alter quidam Stephanus abbas, Grandimontensis ordinis institutor, dum montis Moreti eremum in Aquitania incoleret, militi euidam seu nobili, ut flagitium, in quo obstinatione hærebat, dimittere suis precibus impetravit. Unde is, qui prius neque ab eo se desistere posse, neque si posset, velle dixerat, repente mutatus, peccatum suum slevit, vitamque correxit, Maiol. I. II. c. II.

III. Christus ascendit in montem, in eo transfigurandus. Adhibe et tu conatum ac serio resolve, quod velis aliam inire viam. Audi Senecam, l. II. de ira, c. XII. « Quodecumque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam redirent, consecuti sunt. Vino quidam, alli Venere, quidam omnifariis honoribus interdixerunt corporibus. Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec respirare. » Delphos sophista quidam profectus fuisse fingitur (in fab. Aesopi) ut periculum faceret de Apollinis scientia et veritate oraculorum. Passerculo igitur manu comprehenso, eoque ueste conctecto, prope tripodem astitit dixitque : *O Apollo, quod manibus fero, vivumne est, an mortuum?* Si dixisset, mortuum, vivum ostensurus erat passem ; si vivum, statim compressum suffocasset et mortuum protulisset. Quid igitur oraculum ? *Utrum vis, heus tu, facere facio : penes te enim est illud facere : sive mortuum sive vivum ostendere.* Sic omnino reliquit Deus hominem in manu consilii sui (Ecclesiast. XV.) si vult esse vivus et bonus, potest, sin mortuus et malus, aequa potest : in manu ejus est vita et mors, posse et non posse bearci. Mera itaque electione improbus est et manet. Hinc S. Thomas Aquinas a sorore interrogatus, qui salvari posset? Volendo, respondit, apud Ferd. Castigl. in hist. S. Dominic. At conatus, inquis, magnus adhibendus, et mons

virtutis descendendus est, qui non parum difficultatis habet. Quidni pro regno cœlorum laborare deceat? Nonne homines quidam ethnici, pro terreno lucro vel inani gloria naturam in seipsis tandem correxerunt, cum maximo labore? Demosthenes ille Græcorum orator cum lingua blæsus esset ut litteram R pronuntiare posset, lapillo in os sumpto perorare didicit : laterum quoque infirmitatem labore emendavit : vocis exilitatem et asperitatem exercitatione continua : undosis enim littoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obliquantibus edebat, ut ad fremitus concitarum concionum aures assueficeret : domi magnum habebat speculum, cuius ex adverso stans perorare solebat, ut suam actionem inspiceret : lapillis in os insertis aliquamdiu declamabat, ut post ore vacuo expeditius loqueretur, Val. Max. I. VIII. c. VII. Pl. in ejus vita. Et haec iste omnia seu questus, seu vani honoris gratia. Non possit ergo, vel non velit Christianus vitia sua resecare propter æternam in cœlo gloriam. Credite mihi, surget in judicio Demosthenes, surgent gentiles, et condemnabunt tales.

Et vero res tanti laboris non esset, modo manus arafro admoveremus : levior enim mox appareret, vel exercitio saltem fieret. At vero multi in luto semper harent, quia nunquam eluctari tentant : velut ignavæ ancillæ, que colum undique circumferunt, et nihil operis faciunt, quia fusum nunquam apprehendunt, contra quas dicunt de muliere illa sapiente, Prov. XXXI. *Manum suam misit ad fortia, et digitæ ejus apprehenderunt fusum.* Non magno labore stravit Goliam David, quia magno animo cœcurrit ad certamen, et misit manum in peram, et tulit inde lapidem, etc. I. Reg. XVII. Pari facilitate et nos sternemus nostra vitia inolita, modo co[n]nari et mittere manum ad opus vellemus.

IV. Paulatim ascendit Christus ad transfigurationem. *In Cæsarea Philippi promisit se aliquibus discipulis brevi ostensurum gloriam suam.* Inde perrexit ad montem Thabor, distante a Cæsarea viginti leucis seu horis, teste P. Corn. Matt. XVII. adeoque consumpsit in itinere sex dies, cum in tribus eo venire posset : quia nimis paulatim progressus interea in castellis prædicavit. Hunc in modum sensim asuefac te ad contraria vitio tuo virtutem, et paulatim eradicabis illud, quia consuetudo consuetudine vincitur : sic gutta cavit lapidem, non bis sed sepe cadendo. Disputantibus aliquando philosophis de virtutis difficultate, prosiliens Antisthenes : *Virtus, inquit, assiduitate et studio disci potest.* Inter eremicolas veteres frater quidam

fuit, ut est in vītis pp. I. V. apud Rosweid, libello VIII. qui cum semel ab observantia regulæ excidisset, visa difficultate emendationis modestus dicebat : *Quando habeo me invenire sicut aliquando eram.* Cui senior quidam narravit apologum de patre, qui misit filium ad expurgandum agrum a sentibus et tribulis : quem cum aspexisset filius plenum undique et urticis, de prefectu laboris desperans decubuit in agro et dormivit. Interim venit pater visurus quid profecisset filius. At hic frustraneum prætendens laborem nihil se molitum ait, sed in agro dormivisse. Cui pater : *Fili ad mensuram latitudinis, quam jacens in terra occupas, per singulos dies operare, et ita paulatim profici opus tuum.* Quod cum filius fecisset, brevi tempore totum agrum excoluit. Hunc in modum egit cum quodam nobili, seu ut habet S. Bern. serm. XXI. quadr. cum quodam cardinali certo alicui vitio assueto S. Bernardus. Cum enim illud ad penitentiam invitaret, nec ille acquiesceret, ait : « Si non vis pacem facere cum Deo; saltem cum eo treguam seu inducias fac. At ille : Quamdiu? Cui S. Bernardus : Abstine tribus diebus pro Dei amore ab omni illicito. Acquievit ille, et Bernardus : Tribus aliis diebus abstine amore Virginis gloriose; quod etiam fecit. Demum addit nunc iterum abstineas amore aliorum sanctorum; quod itidem fecit. Cum Bernardus suaderet hoc denuo inchoari, respondit ille : Nolo amodo cum Deo treguam facere, sed continuam pacem. Facile enim mihi nunc est abstinere a malo. » Ita fere Bernardinus. Ad extremum nonne bestiae multa mira, et naturæ suæ plane contraria facere docentur? Quid magis horret lepus, quam tympani sonitum? Hinc enim proverbium : *Lepus ad tympanum.* Et tamen visus est lepus pedibus suis pulsare super tympanum. Et quid non addiscunt canes? Cibum ori ingestum licet famelici retinent eousque donec ab hero licentiam edendi obtineant, et similia. Vidi ipse asinum ad numeros saltantem, et per circulum inoffenso pede transilientem : capram supra funes dexterrime ambulante. Et haec bestie discunt solo pabuli desiderio stimulatae : quid non conari debeat homo, tanta provocatus mercede, in cœlo obtainenda? Quid? Quam multi, putatis, desuescerent a juramentis, si pro singulis eorum omissionibus efferretur illis aureus unus? Cogita ergo tibi decretas in cœlo tot coronas, quot actus pravæ consuetudinis intermisseris.

Quare evigilemus, auditores, et aggrediamur opus : *Aljiciamus opera tenebrarum, et induamus arma lucis.* Etenim si unquam alias, nunc tempus est acceptabile ad exuendum veterem hominem.

Nunc jejunii tempus, nunc frequentes conciones, nunc crebriores comprecationes, nunc dies penitentiae. Utamur his salutaribus pharmacis, ut ita demum cum Salvatore nostro transfigurati, seu in homines alios mutati, audiamus et ipsi vocem Patris nostri ecclesis : *Hic est Filius meus dilectus.*

CONCIO II.

QUID ACTUM IN MONTE THABOR.

I. Ibi conclusum est, quod per laborem pervenientum ad gloriam. — II. Beatitude in cœlo quærenda, non in terra. — III. In omni actione considerandus finis. — IV. Vigilandum illis, qui videre Dei gloriam volunt. — V. Christus audiendus ab omnibus, quia clarefactus a Patre. — VI. Passio ab omnibus Christianis recogitanda.

THEMA.

Ecce apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes.
Math. XVII.

Quando electores imperii ad comitia conveniunt, magna jure merito tractari per eos creduntur, nec erit facile, qui eorum decretis ac statutis contraire auserit. Venit hodie summus cœli et terræ imperator, Deus Pater in montem Thabor quasi ad comitiorum locum una cum Filio Rege regum : et comparent ibi Elias quasi ensifer, Moyses quasi dapifer, tres primarii apostoli quasi tres electores ecclesiastici et orbis archiepiscopi. Magna ergo esse debent, quæ ibi tractata et constituta sunt. Quænam vero illa audiamus.

I. Conclusum, per laborem esse ad gloriam pervenientum. Primo, quod post dies sex, scilicet laboriosos, itum est ad sabbatum transfigurationis gloriosum. Deinde, quia per ascensum deuentum in montem excelsum ad spectandam Christi gloriam. Prius ergo laborandum quam quiescendum : prius pugnandum quam spolia dividenda sunt. Quæ causa est, cur Deus non concederit Hebreis spolia urbis Jericho, Jos. VII. concederit autem paulo post spolia urbis Hai, c. VIII. quia scilicet hanc manu sua expugnauit : illam non item sed Deus subruit muros eorum, præcise ad sonum buccinantum, quam Deus pro labore non reputavit. Quare cum Achan spolium inde sustulisset, jussit eum deleri ac comburi.

Multi quidem interesse spectaculo beatitudinis volunt, sed laborare, et ascendere nolunt: multi cum Achan spolia auferre licet immeriti desiderant, de quibus Proverb. XIII. dicitur : *Vult et*